

TRATTATO
PERPETUO
DI
COMMERCIO, E NAVIGAZIONE
CONCLUSO FRA IL
RE NOSTRO SIGNORE,
E LA
CORONA DI SVEZIA

Da' rispettivi Ministri Plenipotenziarj in Parigi il giorno
30. di Giugno dell'anno 1742.

COLLE RATIFICAZIONI DI
SUA MAESTÀ,
E DEL
RE DI SVEZIA

Controcambiate il giorno 5. Maggio 1743.



ISTIT. UNIV. ORIENTALE
N. Inv. 62490
BIBLIOTECA M. RIPA

IN NAPOLI M. DCC. XLIII.
Per Francesco, e Cristoforo Ricciardi Impressori del Real Palazzo.

(3)
In nomine Sanctissimæ, &
Individuæ Trinitatis:



D perpetuam rei memoriam, notum sit omnibus, & singulis, quorum interest, aut quodammodo interesse poterit, inter Serenissimum, & Potentissimum Principem, Carolum utriusque Sicilia Insularumque adjacentium Regem, Hispaniæ Infantem, Parmæ, Placentiæ, Castri, &c. Ducem, Hetruriæque Magnum Hereditarium Principem, &c. &c. Ejusque heredes, & successores; Et Serenissimum, ac Potentissimum Principem, Fredericum, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, &c. &c. &c. Landgravium, Hassiæ, Principem Hirschfeldiæ, Comitem Catimeliboci, Diezæ, Ziegenbainæ, Nidde & Schaumburgi, &c. &c. Ejusque heredes, & successores; mutuam inter se fidam firmamque amicitiam colere & serva-

(4)

re cupientes , necnon vicissim subditorum suorum in Re Commerciorum utilitatibus omni meliori modo prospicere volentes , divino afflante Numine , Commercii navigationisque Tractatum conclusum esse per Plenipotentarios suos ; Ex parte nempe utriusque Siciliae Majestatis , Celsissimum Dominum Jacobum Franciscum Milano Franco de Aragonia , Sancti Georgii , & Polistinae Marchionem , Ardorii & Sac. Rom. Imp. Principem , Sancti Januarii Regii Ordinis Equitem , in Regno Neapolis Cathafractorum Equitum turmae perpetuum tribunum , ejusdem Majestatis aureae clavis e cubiculo , necnon apud Christianissimum Regem Ablegatum Extraordinarium , &c. &c. Ex parte vero Svecicae Majestatis , Excellentissimum Dominum , Regis Regnique Sveciae Senatorem , & Collegii Regii Cancellariae Consiliarium , Illustrissimum , & Generosissimum Comitum liberum Baronem & Dominum , Carolum Gustavum Tessin , qui Praefati

(5)

fati Domini , vigore Plenipotentiarum , quarum apographo sub hujus instrumenti calcem verbotenus insertaerunt , perpensis rerum omnium momentis in colloquiis eo de negotio saepius ultroque citroque Lutetiae Parisiorum habitis , modo & forma convenerunt , ut sequitur .

I.

INter Serenissimos ac Potentissimos Principes , utriusque Siciliae Regem , & Regem Sveciae , necnon eorum Regna , ditiones & Principatus , mutua amicitia ac omnimoda securitas inconcussa servabitur , ita ut utriusque Majestatis subditi , absque omni impedimento , alterius Regni Terras , Ditiones , Provincias , Civitates , Emporia , Portus , Stationes , Littora , Flumina , Principatus , omniaque alia , non prohibita loca , cum suis navibus , navigiis , & mercibus adire , eodemque venalia exhibere , vendere , emere ,

(6)

re, permutare, alienare, omnis generis merces, unius alteriusve Regni legibus, statutisque non prohibitas, quas afferendi, exportandi, divendendi & transportandi Indigenis, non minus quam exteris cujuscumque Gentis, & Nationis facultas concedi solet, nec unquam Serenissimi Reges permittent, ut alterutrius Regni subditis, terra marive, minimum damni, incommodi, aut injuriæ inferatur, quin potius consilio, & opera, quantum in se erit, omnia avertere conabuntur quæ iis detrimento esse potuerint.

II.

Subditi utriusque Regiæ Majestatis respective Dominia inhabitantes omnes, sine discrimine, libero Commercii & Navigationis usu, terra marique gaudebunt in altimemoratorum Principum Regnis, Ditionibus, Dominiis, & Portibus eodem modo,
quo

(7)

quo aliæ exteræ gentes eo mercaturam facientes fruuntur, itaut illis liberum omnino sit, absque impedimento, loca permissa omnia, Portus, Civitates, Terras, Sinus, Stationes, & littora adire, ibique quamdiu ipsis libitum fuerit commorari, cum suis Navibus, Bonis, & Mercibus, Indigenis vel exoticis, rudibus, vel in speciem redactis, quarum importatio unius alteriusve Regionis civibus, æque ac Gentibus in universum, non fuerit prohibita. Pari modi erit illis sine limitatione concessum in prædictis respectivè Regionibus mutuò commercari; merces advectas Civibus, & Peregrinis divendere, aut in interiora Regnorum deportare, sine salvi conductus litteris, modo solutorum Vectigalium testimoniis (vulgo Dispensali) fuerint instructi, ne ad iteratam eorum solutionem adigantur, quemadmodum etiam liberum erit alias merces, quas Proprius vel Peregrinus tulerit fundus, & quarum asportandarum venia in
uni-

universum Civibus æque ac exterarum Gentium Populis quibusvis conceditur, & merces ejusmodi, propriis vel conductis Navigiis, in quæcumque loca, vel terras voluerint, transvehere, iisdem conditionibus ac emolumentis frui, quæ in terris utriusque Regiæ Majestatis Dominiisque, cuius amicissimæ Genti extera concessa fuerit.

III.

Mercatoribus, naviumque Præfectis, & aliis utriusque Regiæ Majestatis subditis liberum prorsus esse, sive ipsimet mercaturam, & negotia sua curare, sive aliis quibuscumque curanda, & peragenda committere voluerint; nec tenebuntur hac in parte interpretum, internunciorum, Proxenetarum, aliorumque publica autoritate constitutorum officialium uti opera, neque illius ulla tributa solvere, nisi sua sponte iis usi fuerint, quo in casu certa iudicibus præscripta mercede, eorum re-
pen-

pendetur opera, dummodo in plus, minusve prævio pacto non consenserint. Quod si verò in aliquo loco, Regio indultu, & pro more inter negotiantes recepto, consuetudo hæc viguerit, ut in litibus de pactis, & emptionibus inter mercatores obortis, legitimè dividentis, ejusmodi officialium requiratur testimonium, ut Pacta illa coram Iudice valida rataque habeantur, & in contractibus cum incolis cujusdam loci ineundis, maxima uti diligentia placuerit, ut præfatorum testimoniorum beneficium, si sorte lites nascantur, consequi datum sit, memoratas personas publicas adhibere necesse erit, eis certa estimatoriis iudicibus definita mercede numeranda, in quantum mores in Regnis, & ditionibus utriusque Regiæ Majestatis Domino subjectis, recepti in favorem amicissimarum quarumvis exterarum Gentium, hoc permiserint.

IV.

Ils tantum Portibus, ubi commercia præcipuè vigent, & qui majore navium commerciantium concursu eminent, non vero in quibusdam a Mare remotis, vel minoribus mari adjacentibus oppidis, quæ rarius frequentantur, vel prorsus commercio carent, Consules aut Viceconsules constituantur, qui in universum iis interim gaudebunt juribus & immunitatibus, quas vicissim affectæ Majestates in posterum cujusvis amicissimæ Gentis Consulibus concedere, vel detrabere existimabunt, interim tamen decernendi vel cogendi potestatem nullam omninò habebunt, verum sui muneris ducent curare ut Popularium quilibet suo jure fruatur, & ut emergentes controversiæ amicè sopiantur, si quando horum arbitrio illi, quorum interest causam componendam sponte reliquerint. Pari itidem modo ab utraque contrahentium parte providendum, ut tributa Consulibus ac Viceconsulibus

pendenda modum non excedant, & ut iidem, officii memores, equitate & circumspectione debita utantur, ne mercatores, turbati, & territi, ad loca quæ illi incolunt, remeare detrectent.

V.

Lite inter navis Præfectum & Nautas emergente, ejus Gentis Consul vel Viceconsul amicè eandem componere conabitur, quod votis non respondens, navem tamen propterea detinere non licebit, tum verò à navis magistro chi-rographum sumet, quo polliceatur, velle se Genti nauticæ satisfacere, debitumque solvere quamprimum ad suos redierit. Nihilominus, si nauta navis præfecto dicto obediens non fuerit, vel grave quoddam crimen commiserit, Regius illius loci Magistratus, Consuli, vel Viceconsuli opem ejus imploranti adesse tenebitur, ad nautam illum comprehendendum, vel etiam in vincula conjiciendum.

VI.

SI Merces quæ ex alterutrius contrahentium Principum terris adferuntur, quibusque, tabulis publicis, non sit definitum vectigal, sed pro pretio censentur, pluris justo æstimatæ fuerint, curabitur, quamprimum illi, quorum interest, hoc postulaverint, ut tributa æquo valore mercibus constituto minuantur, & si difficiles se præbeant hac in parte Telonii Officiales, Proprietarii arbitrio relictum esto, mercibus ipsis solvere vectigalia, e quibus tamen prius decem pro cento detrahantur; merces vero bonæ qualitatis sunt, quum earundem corruptio non valeat ad insistendum justo majus pretium illis esse impositum, nec tributorum ullam mereri queat diminutionem. His verò incommodis S. R. M. utriusque Siciliae in antecessum modebitur, curando ut renovetur æstimatorii Judices, vulgo Tariffa, & valorem statuendo
æquum

æquum atque congruum singulis mercibus cujuscumque nationis, hoc tamen pacto, ut idem in Svecia ratione mercium utriusque Siciliae observetur, quum forte inibi non fixum, vel nimis justo pendendum fuisset vectigal, indices nempe æstimatorios reformando, aut saltem alia quacumque ratione, prout id S. R. Sveciæ Majestas maximè conveniens judicaverit, modo idem sequatur effectus in favorem mercium utriusque Siciliae, quibus, uti dictum est, justo majora tributa fuerint imposita. Quo verò citius aperiatur & melius firmetur immediate Commerciorum exercitium inter status utriusque Siciliae, & Sveciæ Majestatum, & ut impediat quominus id mediatè fiat, per secundam & tertiam, ut dicitur, manum & simul tollatur omne detrimentum inde in utriusque Gentis respectivè merces, & mercatores subditos redundaturum, Conventum, & Concordatum est, quod omnes merces Suecane, sive navigiis Suecanis advectæ,
quæ

quæ cum , vel ex Oceano per fretum Gaditanum venerint ; vel è Levante aut alia quacumque parte Maris Mediterraneï , in aliis Portibus Mediterranei maris expositæ ac servatæ fuerint , antequam ad portum aliquem utriusque Siciliae appulerint , præter solita jura , viginti pro quolibet cento sui valoris solvent , quod obtinebit non modo de mercibus Suecanis vel Suecicis navigiis advectis , quæ expositæ & servatæ prius in aliis mediterranei locis fuerint , quam in aliquem utriusque Siciliae Portum invectæ , sed etiam de omnibus cujuscumque Gentis mercibus , & cujuscumque Gentis navibus allatis , etiamsi utriusque Siciliae Majestatis subditi dictas merces oneraverint , & modo memorata ratione in Siciliam utramque fuerint introductæ .
 Quum verò liber sit portus Messanæ , vulgo Porto Franco dictus , iisdem immunitatibus & concessionibus nominatim in hoc Portu , æque ac in similibus privilegiatis locis , fruuntur Regni

Sveciæ subditi , quibus aliæ gentes amicissimæ gaudent & in posterum gaudebunt .

VII.

UTraque Sacra Regia Majestas serio suis imperabit subditis , ne in alterius Terris Portibusque , merces vetitas invehere , aut vectigalia fraudare præsumant : In manifesta fraude deprehensi , indiscriminatim unius vel alterius subditi sint , gravissima a Regionis legibus dictata afficiendi pœna , cujus declinanda nullum in proprio navigio asyllum , sed illicò administris , quibus judicandi & animadvertendi demandata est potestas , extradendi erunt , fraudis verò Reus , decreta in eum pœna , quam fuga vel alio modo eludere prospere ei evenerint , quamprimum ad Patriam redierit , severitatis exemplo eodem modo plectendus , ac si ibidem fraudem commisisset .

VIII.

UT autem quibusvis fraudationibus obviam eatur, & quoad fieri possit, Regalium aliorumque jurium solutioni consulatur, conventum est, navigiorum explorationem in utriusque Sacrae Regiae Majestatis Dominiis instituendam, juxta Regionis statuta & usu receptum morem, adeout utriusque subditi majus non subibunt onus, quo subditi ipsi, ac quaevis amicissima Gens, per Regionis leges, sui que Principis placita tenentur.

IX.

AD declarationem quoque mercium, tempus, modum exequendi, authenticamque reddendi, & ad scrutatores in navigio, ne merces clam evehantur, quod attinet, uniuscujusque Regionis leges, Principisque placita, uti antecedenti articulo, veluti erga suos,

exte-

exteraeque cujusvis amicissimae Gentis subditos observabuntur.

X.

Non educta e navigio, sed alio transferenda quavis merce, quae suapte vel Regionis legibus Principisque decretis vetita sit, tenebitur Praefectus eam suis sumptibus Regiis Repositoriis, vel alio, si in eis locus non erit, recondere clavibus penes telonii Praesidem consignatis, recipiendis que sui discessus tempore, pluris non pendendo mercedem, quam ipsemet alias conducto repositorio soluturus fuisset, ut primum autem appulerit, usque adhuc merces eduxerit, transtulerit & de novo in navim importaverit, velisque dederit, unum, alterum, vel tertium vigilem, minimae cuivis vectigalium fraudi excubaturum, in navim admittere tenebitur. Merces vero non vetitas Vectigalium tamen solutioni tantum obnoxias non cogetur Praefectus

C

edu-

educere , vel publico privatoque con-
dere , uti dictum , repositoio , sed so-
lummodo telonium , discessus tempore
recuperandum , deponere , vigilesque
in navigio pati , qui vigiles gravibus
sub pœnis haudquaquam eis quæ in in-
teriori navis geruntur , se immiscere ,
minimumque quid pecuniæ , vel mer-
cium etiam esculentarum , mercedis
aut donationis titulo accipere aude-
bunt , sed suis alendi sumptibus erunt:
nihilominus , si vectigalis fraudi im-
pediendæ impares fuerint , suppetias
ad illam compescendam vocare poterunt ,
in Refractarios inde juxta Regionis le-
ges , Principisque statuta , velati in
suos , vel exteræ amicissimæ Gentis
subditos animadvertendum erit.

XI.

NAves bellicæ in portibus alterius
S. R. M. morari poterunt , haud-
quaquam explorandæ , modo suis se
contineant limitibus ; secus , vectiga-
lium

lium fraudi studentibus , de eis cer-
tior factus suæ Gentis ablegatus mo-
dum illis imponere sataget , à fraudi-
bus vel cessent , vel è Portu illicò sol-
vant .

XII.

Sub colore invecæ jam mercis , alias
non vetitæ , vectigale non soluto ,
nullimode pariter explorationem exe-
quendam in domibus , repositoiois , ta-
bernis mercatorum alterutrius S. R.
Majestatis suaditorum in alterius ter-
ritorio commorantium , nec ullam insti-
tuendam inquisitionem , nisi in flagran-
ti invectionis intercipientur merces
ipsæ , quæ fisco cedent , autoribus fau-
toribusque insuper multatis eadem pœ-
na , qua ad Regionis leges , Princi-
pisque statuta indigenæ ac exteræ cu-
jusvis amicissimæ Gentis incolæ ple-
dendi forent . Gravibus nihilominus
suadentibus indiciis , in domo , repositio-
rio , vel taberna conditas fuisse sua-
pte , vel Principum constitutionibus ve-
titas

titas merces, quovis tempore institui poterit scrutatio, ad quam liberum insimulato erit, suæ Gentis advocare Consulem, qui tamquam testis tantum adesse poterit, nec ulla, donec veniat, scrutationi neccenda mora, nec presens illam avertere, aut protelare presumet, in vectarum inde vetitarum mercium Possessor pœnas dabit, subditi ad instar, vel cujusvis amicissimæ Gentis. Iis tamen casibus prorsus abstinentia manus a libris, chartis, scripturisque, quarum nec in iudicio eum in finem flagitanda extraditio, nisi declinandarum contrahendarumque litium, expensisque parcendi gratia, documentorum vice, Partes ipsæ illis uti velint. Cæterum insimulato de injuria conquerenti, illius reparandæ, jure agere licebit.

XIII.

INter utriusque Siciliæ Regiam Majestatem, & Regiam Majestatem Suecicam

cam conventum est, alterutrius subditos quoad personas, mercaturas, navigationes, & bona quæcumque uti frui debere vicissim iisdem privilegiis, & immunitatibus, eisdem Majestatibus minime nocentibus, quibus exteræ quævis amicissima Gens utitur fruitur: quod attinet pariter exonerationem unius mercium Partis, & alterius asportationem, vel translationem in aliis eorundem Regnorum Portibus, Repositoria constituenda, eorum Regimen, & custodiam, merces reponendas mercium immunitatem, vectigalia soluta, depositata, restituendæ, cæterasque quasvis peculiare utriusque Regionis dispositiones, quas situs diversitas, & mercimonii dissimilis scopus, in omnibus ad unguem æquare non sinant, gaudebunt nihilominus utriusque Siciliæ, & Suecicæ Majestatum subditi, vicissim uti superius, inferiusque articulo præsertim 40. cautum est, omnibus, & quibusvis immunitatibus, & privilegiis, quibus exteræ amicissimæ gaudent Gentes.

XIV.

Firmando insuper & augendo earum dominia inter, semel cepto commercio Suae R. Majestates invicem spondent, se nullo unquam tempore in ipsarum Regnis Monopolia, quae libera mercium emptioni venditioni impedimento detrimentoque esse possint, laturas, sed subditis utrinque mercimonium exercere per seipsos, suae Gentis Consules, negotiorumve gestores, libera semper facultas erit, uti potius, & quaevis amicissima Gens gaudet, ipsis compendio esse crediderint.

XV.

Naves subditorum utriusque R. Majestatis ubi ad destinatos alterius Portus appulerint, amico excipientur modo, justoque numerato pretio, dabitur illis & victus & aliae ad navium refectioem necessariae res. Pari etiam illae naves tra-

Etan-

standae sunt humanitate, quae vento adverso, aut tempestate coactae, vel alia de causa, se receperint in diversum Portum, stationem, vel locum, dictorum Principum, quam quo cursum initio direxerant, neque invito Navarcho ad mercium impositarum exonerationem adigentur. Quae tamen ita accipienda erunt, ut si eveniat unius partis subditorum navi, dum alterius praetervehitur oras maritimas, praedictis de causis anchoram ibi figere, vel Portum aliquem inire, non teneatur ad solvendum vectigalis alicujus genus, nisi merces exonerare paret. At ubi per plures dies ibidem commorari necesse fuerit, navis resarciendae gratia, aut adverso flante euro, aut consulendis sumptibus, pars quaedam alatarum mercium dividenda foret, illa ab integro onere separanda pars omnino denunciabitur, & Vectigal ceteraque impositiones pro rata numerabuntur. Quoque omni fraude obviam eatur, collocandi sunt in Nave necessarii ju-

dicati

dicati custodes per integrum commorationis tempus. Si nihilominus plus ex navi effertur mercimoniorum quam denuntiatum erat, Vectigalia ex omni onere solvenda.

Adbibenda vero maxima cura erit, & proveniendum, ne prætexta tempestatibus remota, portus ineant naves, occasionibus inhiantes distrabendarum ex onere mercium, novarumque exportandarum, prout utilitati suæ convenientius existimaverit navis Rector, in fraudem vero debitorum ex ejusmodi mercibus terræ Principi vectigalium, & impositionum.

XVI.

SI contingerit navem unius Regum contrahentium Subditi perisse ad oram alterius, penes Consulem nationis, vel Viceconsulem, unice jus sit, servata s ex naufragio merces, navisque reliquias colligere possessori restituendas: neque aliis liberum erit, cognito cujus sit

sit navigium, tali sese immiscere negotio, quam eis quorum operam ipse navarchus imploraverit. Absente, vel nullo Consule aut Viceconsule, ibi locorum residente, succurret navarcho, Præfectus terræ, ad quam fracta fuerit navis, & omnia quæ commiseratio postulat, & debitum in Gentem fœderatam studium, officia ipsi præstari pro virili curabit. Eritque partium dicti Præfecti, existente casu, mercedem incolis statuere æquam operæ quam commodarunt in servandis mercimoniis, cæterisque ruptæ navis fragmentis; ut & debito in illos animadvertere rigore, qui aliquid ex bonis recuperatis suffurati sunt, vel minimum intulerunt damnum. Quidquid vero sit, sive in bonis servandis sive in mercede operariorum, neutiquam censendum, ullam immutationem afferrî prælationi debitæ, & juribus urinatorum, qui Regia autoritate instituti sunt in locis fatali hujusmodi eventui vicinis: probe tantum observato, quod Præfectus loci, aut Officiales
D
alii

alii competes, ubi quis abusus irrepfit, & salarium justo majus postulatur, querelis inde ortis mederi, & navarcho damni reparationem procurare debeant, simili plane modo, ut supra sancitum est de incolis qui ad bona servanda opitulati sunt.

Merces autem illæ mari ereptæ, quæ exoticæ sunt, dum venditioni destinantur, impositiones & vectigalia ordinaria solvent, habita tamen ut æquum est, aliqua damni perpeffi, bonorumque deterioratorum ratione; si autem asportentur, nihil pendendum erit. Quæ vero merces indigenæ ad asportationem navigio commissæ erant, quas ulterius secum asportare, vel quod detrimenti aliquid ceperint; vel aliam quamcumque ob causam, non curabit forsnavarchus, convenientius ducens illas ibidem revendere; telonium denique quod de mercimoniis intra Regnum venalibus sumitur, majus sit illo quod pro exportandis solutum, nuper fuerat: tunc subducendum est
quod

quod pro tali mercimonio jam dudum erat numeratum, & excedens differentia itidem solvetur. Si vero utriusque generis telonia inter se æqualia sunt, aut municipale illud levius exportatorio, neque nova aliqua jura exigipotuerunt, neque redditio postulari majoris in exportatione soluti numeri. Ponimus autem in hujusmodi casu, vectigalibus, cæterisque impositionibus cum exportarentur merces, bona fide fuisse satisfactum: Siquidem si contrarium probatum fuerit, & merces celatæ, & navis reliquiæ Fisco de jure censebuntur adjudicatæ: Eademque de ipsa nave, licet illæsa, omnique ejus onere lex esto, si evinci potest celatas merces superasse trientem totius oneris.

Navigio penitus pereunte, vel ut sublevaretur, mercibus in mare projectis, quidquid ex fundo exiscari potest, aut quod fluctus ad littora impellunt, neutricam pro accessione reputandum est hominum, quicumque demum sint, qui

oras illas habitant, ubi accidit infortunium; verum publica auctoritate custodiae tradetur, restituendum ei qui jus suum probaverit, refusis tamen ut par est, impensis quæ in bona illa expiscanda, & custodienda factæ fuerant. Intra anni vero spatium post naufragium, nemine reclamante, pretentiones amplius locum non habebunt.

XVII.

Quemadmodum utraque Regia Majestas mercatoribus & subditis alterius, dum in suis commorantur terris, firmissimum, & mutuam concessit præsidium, & securitatem, tam qua ipsorum & domesticorum personas in universum, quam merces, naves, ceteraque bona; ita etiam integrum illis erit commercium exercere epistolicum, calculos, rationum Breviaria, & reliqua abaci acta, idiomate quo ipsi voluerint consignare. Neque ullus eorum tantum abest
ut

ut nationis Consul adigatur, sive pacata, sive turbida fuerint tempora, ad producendos, & evolvendos coram quocumque Judice, aut alio loci Magistratu, mercatorios suos libros, aut aliquam tantummodo rationum partem, quæcumque demum obtendatur causa. Pariter Regum altememoratorum subditi dum in alterius vivunt dominiis, qua ipsorum personas, naves, navigia, aliaque eorum bona, merces, argentum, æsve creditum, liberi omnino erunt, neque arresto vel detentione aliqua infestabuntur, ob crimina vel debita aliorum, neque ob eas prætentiones, quæ inter Sacras Regias Majestates, earumque Coronas moveri possint.

XVIII.

SI acciderit subditos Regum paciscentium, ob contractum æs alienum, aut legitima postulata, cujuscumque sint nominis, in jus ire cum subditis R. M.,
vel

vel etiam cum Principum exoticorum subditis, in Regum ditionibus sedem habentibus, tunc Tribunalia, aut Judices litem illam apud eos susceptam maturate diriment, ne retardentur mercatores in itineribus cæterisque ad Commertium eorum facientibus negotiis. Atque in tali actione liberum erit utriusque Corona subditis causas bonorumque suorum curam fidei committere Advocatorum, & Procuratorum forensium, qui maxime ipsis placuerint; neque obtenta muneris natura, aut ulla qua pollet dignitate quispiam in Regum convenientium Regnis recuset adire Judicem, aut prolationem aliquam obtineat in præjudicium adversarii.

XIX.

PAriter quoque earundem Majestatum subditi, qua personas ipsorum, naves, nautas, mercimonia, prætensiones, & reliquas facultates, debita illis, hoc
est

est perfecta fruantur securitate, ita ut nisi ob patratum facinus, æs alienum, aut aliam legitimam causam (quam tamen via juris ordinaria probasse necessum est) nemo qualicumque sub specie, bonorum suorum sequestratione, confiscatione, sive arresto impediatur, aut invitus detineatur. Multò minus nomine Publico aut privato quopiam postulante, coerceantur, belli velpacis tempore, ad tradendas in publicum usum naves, nautas, & reliquas facultates, nisi ultro consensum dederit Navarchus, aut qui ejus exercet jura, pretiumque in integrum acceperit, antequam naves & nautas, vel etiam merces & bona sua in mediatum illum usum transmittat.

XX.

SPondent quoque Reges, se non permisuros nauticos alterutrius subditorum ministros, dum in mutuis degunt territoriiis in servitiis conscribi, aut ullo
modo

modo a quopiam seduci . Si secus factum fuerit , nauta ille statim est restituendus Consuli nationis ; aut navarcho aut cuicumque demum eorum Deputato , qui sublatum hominem reclamaverit , & Praefecti , vel Officialium competentium imploraverit auxilium , quod continuo illi dabitur . Eodem jure utriusque Regni subditi gaudeant , si quis ex eorum hominibus effugerit , aut sub quocumque praetextu , recusaverit ad navem , susceptamve operam , redire .

XXI.

NEquae navium Praefecti , & Actores , nec caetera Gens nautica , sive ad Regnum proprias , sive ad subditorum naves pertineant , forenses inter se , quamdiu in Terris & Portibus vivunt alienis , intentare debent litem , nec turbas navarchis & Reſtoribus , remoramque navibus suscitare , super salariis naulis , & stipulata mercede , aut

alio

alio quolibet ex capite . Nefas quoque illis sit , arrepto hujus , vel alius generis praetextu ab officio se subtrahere , & ad Praefecti locorum , aut alius cujuspian confugere tutelam ; quin potius in simili casu reclamantium permitti debent manibus , ortumque illud dissidium ubi inter duos ejusdem nationis res agitur , operam dabit gentis Consul amice componere , quod si ex voto non successerit , reservabitur litis diremptio ad reditum Rei in Patriam . In hisce vero casibus probe observandum venit , quod de Consulium auctoritate supra statutum legitur .

XXII.

INsuper conventum est inter utrumque Regem , nullas litteras , quas vocant Repressaliarum , tradendas , in mutuorum subditorum damnum , nisi in casu manifestè denegatae justitiae .

E

Pro-

Prohibitum quoque sit Regiarum Majestatum subditis acceptare litteras Re-pressaliarum, & commissiones ad privatam armaturam, à Principe vel Statu quopiam, apertum cum alterutra partium paciscentium gerente bellum. Quicumque igitur ejuscemodi commissionibus muniti turbaverint navigationem, aut ulla sub specie malo affecerint alterius Regis subditos, pro Piratis habebuntur, & meritas subibunt pœnas. Spondent idcirco altememorati Reges, se, dum super hisce negotiis affligantur, in Regnis, & Provinciis suis seridò interdicturos acceptationes ejusmodi commissionum ad privatam armaturam; si quis prohibitione non obstante, secus fecerit, & pœnam dabit, & plenarie prospiciet indemnitati illius, vel illorum quibus illatum erit detrimentum.

Quo magis sarta & tecta sit mercatura & navigatio, quantumque fieri potest, etiam illæ removeantur turbæ, quæ oriri facile possunt, decertante armis alterutra Regia Majestate cum alio Principe, aut Republica, statutum est ubi tali occasione Regis unius naves bellicæ, vel etiam privati belligerantis armatores, obviam facti fuerint alterius subditorum navigiis, sive in alto, sive ad maris littora, ut priores illæ naves, Regiæ scilicet, vel armatorum ad has non debeant accedere intra jactum tormenti bellici, verum scapham ad alteram navem mittere cum duobus aut ad summum tribus viris, præter nautas ad scapham illam regendam necessarios. Et integrum erit dictis illis tribus personis, nec pluribus, navem conscendere, quibus navarchus, ex parte Regiæ Majestatis Sveciæ, monstrabit litteras

maritimas a Collegio Commerciorum Regis Regniq̄ue Sveciæ sibi datas, ut & indices mercium navi contentarum vulgo connoissem̄ta dictos; Et ex parte Regiæ Majestatis utriusque Siciliæ Diploma & litteras Patentes Regias, ambo ad formulas usitatas constructas, quin etiam natio utraque necessarias testificationes producere debet de loco vel portu, quo ultimo solutum est, eo casu scilicet, cum inter navigandum necesse fuit alio antea appulisse. Hæ litteræ & testificationes ab utriusque Majestatis navibus bellicis reciproca, & ea, qua fas est, veneratione excipientur, ut quoties earum ope mercatoria navis legitimationem suam ritè probaverit, liberè & absque ullo impedimento iter continuet.

Talibus occasionibus utriusque Majestatis Præfecti navium bellicarum, Prædatores & Commissorum gestores seridò in mandatis habeant; ut si fortè belli tempore alterutrius partis subditorum navibus, vel navigiis occurrant; amicè
& de-

& decenter cum illis agant, curentque ne damnum illis ullum adferatur: Nec, postquam prædicta documenta in medium prolata sint, declarationes falsæ circa quantitatem & qualitatem nauticorum vel mercium illis extorqueantur. Imprudens ille, qui posthabitis talibus expressis mandatis, secus egerit, si Præfectus bellicæ Navis, vel Prædator fuerit, qui crimen vel jusserit, vel permiserit, vel ipse commiserit, ea ratione punietur, ut navis, quæ capta fuerit, statim libera detur cum omni paratu navali, onere & mercibus, etiam prohibitis si quæ inventæ fuerint, in quas hoc casu actio nulla institui poterit, nisi, quod nefas sit, eas ad inimicos asportare. Præfectus item bellicæ navis munere exuetur, & prædatoriæ Præfectus privabitur commissione sua, ita ut reliquo belli tempore armare nequeat. Hic autem vel ille quisquis sit, bis mille argentei nummi (vulgo scudi) multa plectetur, ac damnum omne restituet.

Nautæ verò , qui tali violentiæ manus dederunt , debiti castigationi subiciantur , cunctaque sine temporis dispendio , vel tergiversatione executioni dabuntur .

XXV.

Quo autem apertius innotescat , quæ merces tempore belli habeantur in prohibitis , vel talibus quæ ad hostiles terras , urbes , loca & portus asportari nequeunt (nec pro talibus haberi poterint , nisi antea belli flamma manifeste eruperit , & actus bellici qua terra vel mare incepti sint) quoque facilius lites de prohibitis mercibus emergere solitæ evitentur , hisce conventum est , eo nomine intelligere solummodo tormenta , & mortaria bellica , Polgelastra , (vulgo petardos) granata , sclopeta majoris breviorisque modi (moschetti e pistolette) bombas , globos , tormentorum vehicula , pulverem pyrium , salpetræ , incensoria , omnisque generis arma , enses , fidas

(vul-

(vulgo Bajonette) hastas , bipennes , spicula , galeas , thoraces , & loricas ; item milites cum equestres , tum pedestres , equos , ephippia , frena , sclopetarum vaginas , cingula , omnemque alium ejus generis apparatusum bellicum : quæ omnia prohibita merces tunc tantum censebuntur , si ad loca hostilia portentur , non autem secus . Quod si talis ad hostiles terras , vel portus destinata navis onus , qua sui partem aliquam ejusmodi illicitas merces contineret , istæ eo casu secerni a reliquis , depromi , inque judiciali foro constituto examinari debent . Et Reos talium mercium jactura , non alia pecuniæ multa plectetur ; at navis ipsa cum reliquo oneris liberis ac licitas merces continente , non ejus rei causa detineri , vel ex cursu suo deflecti poterit .

XXVI.

E Contra autem sequentes merces in-
prohibitis non habebuntur, videlicet
ferrum, calybs, cuprum, oricalcum,
filum oricalceum, & quæ ex his me-
tallis fabrefactæ merces sunt, nec iis
accenseri possunt, quæ præcedente pa-
ragrapho enumerantur: item Pix, re-
sina, rudentes, velorum tela, mali,
trabeculae, asses grandiores, traves,
cæteræque lignæ merces majoris mi-
norisve modi; tum etiam triticum,
hordeum, secale, orizia, cicer, pisum,
aliaque leguminum genera; atque can-
nabis, linum, vinum, acetum, oleum,
fructus, & quæcumque aliæ merces
una, sine restrictione, cum iis omni-
bus, quæ præcedente paragrapho non
recensentur, licitæ erunt & liberè,
atque ut tales quoquoersum liberè
transportari poterunt, etiam ad hosti-
les regiones, iis tamen locis, munimen-
tis & portibus exceptis, qui eminus,
vel

vel cominus hostilibus copiis circumda-
ti sunt, vel obsidione pressi.

XXVII.

Porro ad omnem posticam explicatio-
nem arcendam, non confiscandas, sed
sine tributo possessori restituendas esse
eas merces; quibus imminente bellico
tumultu Suarum Majestatum subditus
aliquis, declarationis bellicæ ignarus,
navem hostilem onerasse deprehendatur:
quoque magis lites omnes hisce occasio-
nibus oriundæ evitentur, conventum
est de certis, distantis locorum pro-
portionatis, temporum intervallis, qui-
bus in hoc casu onerari possint; scili-
cet mensibus sex post belli declaratio-
nem pro mercibus iis, quæ hinc in
mari Baltico, & Septentrionali, hoc
est isthmum norvagicum inter sinus Co-
dani fines, illinc vero in aliquo maris
mediterranei portu navibus immittan-
tur: ac mercibus quæ è portibus re-
motioribus veniant, quibus scilicet in-
ter

ter fretum Gaditanum, & lineam æquinoxiale[m] naves onerantur sex itidem mensum intervallum dabitur. Illis verò quæ per reliquum meridionalem, trans lineam præfatam, situm, terrarum orbem navibus imponuntur, annus concedetur; quo suarum Majestatum subditis satis utrimque temporis, ad evitandam hisce occasionibus molestiam omnem, suppetat. Quæ autem merces, istis temporum terminis præterlapsis, in nave hostili inveniantur, æque ac si hostium essent, confiscationi obnoxie erunt.

XXVIII.

Navibus bellicis ac prædatoribus gentis utriusque integrum erit in portus utriusque nationis invehere inimicis ereptam prædam, quæ immunis erit ab omni onere, sit vectigalis nomine, vel quocumque alio titulo, modo pars hujus spoliis ibidem non exoneretur; quæ exoneratio etiam licita
erit

erit indulgentia quæ sita, & quæ talibus mercibus imposta sunt, solutis. Quapropter Prædatores, dum appropinquant, non sunt detinendi, nec cogantur pretium spoliis facti denuntiare, sed liberè cum eodem abeant, secundum tenorem commissionis, quas legitimationis ergo producant. Si verò una Potestatum contrahentium in bellum incidat, & altera, ob privatam suum commodum, perfectam neutralitatem servare cupiat, eidem prorsus liberum erit, portus suos apertos vel clausos spoliis belligerantibus factis relinquere, & de iisdem sententiam ferre vel non; adeout Potestas ista in bello implicata liberum utrarumque harum procedendi rationum exercitium alteri non deneget, nisi urgens sit necessitas tempestatis, persecutionis, aquæ inopiæ, vel aliorum similium casuum. Eoque magis Potestas ista neutralis sine omni dependentia, & ratione sibi quam maxime convenienti neutralitatem servet, in tute-

lam navigationis suæ ; in securitatem portuum, littorum, & oppidorum maritimorum, & in tranquillitatem majusque commodum commercii, secundum præcautiones, & præventiones in pari casu ab aliis Potestatibus usitatas: id quod tamen hac lege, ut opportuno mutua, & necessaria fiat hujus neutralitatis communicatio.

XXIX.

S*Erenissimi Reges necessaria mandata Gubernatoribus suarum Provinciarum, portuumque maritimorum Præfectis mittent, quo naves, Gens nautica, & merces, quæ ad suarum Majestatum subditos pertineant, haud secus ac indigenarum & priorum subditorum bona protegantur, sit vel maximè ut illi ad tempus ibi commorentur, vel adpellant tantum, quo insequentem hostem ac imminens periculum evadant. Hunc in finem sollicitè providebitur, ne huic vel illi hostiles naves bellicæ,*
capta-

captatoriae, armatoriae, prædatoriaeque hujus vel illius contrahentium Regum, eorumve subditorum naves in alterutrius oris maritimis portibusque intercipere possint. Hinc si è contrario evenit, ut illi, qui suarum Majestatum subditis naves interceperint, cum illis ad hujus vel illius portus adpellant, tunc loci Præfectus prædam ad se sumere & possessori restituere debet, quatenus neutralitatis juribus non repugnet; Nam eo casu neutralis Potestatis, in cujus ditioes capta navis adacta est, nulla alia est obligatio, quam nauclerum, & nauticam plebem, omni qua possit ratione, juvare non autem id sibi negotii sumere, ut, quo jure præda hæc capta sit, cognoscat, multominus ut illam restituat; & hoc quidem ad tenorem præcedentis articuli.

XXX.

Utriusque Regiæ Majestatis subditi per omnia Regna, Status, Provincias, Regiones, quibuscum pax vel neutralitas colitur negotientur sine timore mutuo ullius vel minimi obstaculi, aut perturbationis.

XXXI.

NE verò liberum commerciorum & navigationis exercitium reciprocè interrumpi queat a bellicis navibus, vel armatoribus in genere utriusque Regiæ Majestatis, propter causam rupture que aut jam existit, aut in posterum suboriri poterit, inter unam Regiarum Majestatum aliasque Potestates, Regna vel Status, quos inter & alteram Regiarum Majestatum pax viget, subditis utriusque Serenissime Partis contrahentis, sub prætextu mercium illicitarum, vel alia sub specie, inter-

di-

dictum esse non poterit, Portus Maritimos, Civitates, aut Regiones, alterutri Serenissimorum Regum inimicas, invisere, è contrario autem integrum esto adire, imo portum quemdam alteri hostilem intrare, exceptis tamen locis aut fortalitiis circum septis, obsidione cinctis, aut terra marive oppugnatis. Quod si verò ad hujusmodi loca appulerint, eadem oppugnata esse, vel obsidione pressa ignorantes: inde mox abire sine molestia permissum esto. Que omnia ex parte S. R. Majestatis utriusque Siciliae, ut ex parte S. R. Majestatis Sveciæ in eorum subditos reciprocè observabuntur,

XXXII.

Utriusque Regiæ Majestatis subditi ad rigidam observantiam teneantur statutorum, mandatorum Pragmaticarumque que à contrahentibus Potestatibus, in eorum Regionibus, aut jam-jam obtinent, aut in posterum ad bo-

num

num vectigalium ordinem tum & redituum, & jurium omnium conservacionem, promulgari possint; & quoties mandatis contraveniant, statuta vel statuenda in iisdem pœna plectentur. Quam ob causam Serenissimi Reges contrahentes ipsi, eorumque administri, subditos suos serio admonebunt, hisce omnibus morem gerant, & sollicitè obtemperent, sin minus, interposita Regia auctoritate, transgressores, ea, uti dictum, ratione sunt puniendi.

XXXIII.

Suarum Majestatum subditi, qua terra, qua mari, omni benevolentia, auxiliis, officiisque, que optanda sint, mutuo excipientur, unde etiam singulis qua mari, vel terra Præfectis, Gubernatoribus, cæterisque Officialibus, tum & teloniorum, aliorumque redituum inspectoribus & magistris injungetur, ut omni civilitate & amore, omnibus infucatae amicitiae, integritatis

tis & concordiae actibus illis præveniant. In primis, id agendum est, ut ad telonia, aliaque loca talia humaniter excipiantur, solutis juribus quæ ad normam statutorum utriusque Regni, vel Subditis in genere, vel amicissimæ utrobique nationi incumbunt, sine mora expediuntur; ea ratione ut quoties innotescat aliqua ex parte subditorum navibus vel navigiis moram vel dispendium temporis creari (quod utili commercio ingens parit detrimentum) promptum huic malo remedium adhibebitur, & ante omnia cavebitur, ne commercantes vel naucleri, quod suas personas, injuria afficiantur, neu, quum de eorum mercimoniis cognoscatur, detrimentum quantumvis leviculum adhibeatur, & sine omni partium studio efficietur, ut via brevissima accuratissima, & qua minime molesta, jus illi dispensetur.

TRansfugæ illius Potestatis imperio subjecti, in cujus portibus ad anchoras steterint Naves vel navigia, minimè recipiantur, nec illis ibidem refugium vel asylum dabitur; quin potius si forte quispiam ibi deprehensus fuerit, illico expellatur, multo magis facta hac de re a loci Magistratu apud navis Præfectum requisitione, confestim & bona fide fugitivus erit restituendus, quod si negatum fuerit, licitum erit instituta in navi debita perscrutatione, transfugam inde extrahere; ita tamen ut simul ejusdem nationis Consul, vel Viceconsul hac de re certior fiat, quo possit, si ipsi placuerit, perquisitioni & extractioni talis transfugæ adesse, & providebitur, ne sub hac specie quidquam inordinate agatur.

QUod vero concernit illam ad quadragenos dies segregem mansionem, vulgo quarantana dictam, quæ certis occasionibus in Serenissimorum contrahentium respectu Dominiis injungi solet, valeat hac in parte consuetudo indigenis, & cuicumque Gentis externæ agendi ratio.

UTriusque contrahentium Majestatum respectu subditi in mutuis invicem statibus, quantum ad Religionem, eodem modo habebuntur, quo aliarum Potestatum subditi diversæ Religionis ab ea, quæ in uno alterove Contrahentium Potestatum Regno obtinet. Liberum vero Religionis exercitium iis concedetur, qui ibi commorati fuerint, nec ulla ratione, sub quocumque prætextu, turbentur vel inquietentur,

modo caveant , ne scandalum publice præbeatur , simulque in iis , ubi degunt Regionibus , omni modestia , debitaque circumspeditione utantur ; Præterea certa quædam loca , facta requisitione , in humanis mortuis assignabuntur . Id quod in ambarum Majestatum dominiis vicissim observabitur .

XXXVII.

Quemadmodum ad Commerciorum securitatem , & emolumentum non parum conducatur , ut amborum statuum subditi commerciantes securo nec interrupto utantur litterarum meantium , & remeantium commercio , tam ad eos populos , quibuscum alterutra Corona manifesto bello implicata esse possit , quam ad Regiones pace gaudentes , conventum est commercantium litteras neque auctoritate publica , neque sub qua demum specie fiat , detineri , nedum aperiri debere .

XXXVIII.

Si quis suarum Majestatum subditus ab hac vel illa parte , aliquem horum articulorum transgredieretur , inde præsentis tractatui , qui nihilominus in pleno vigore subsistet , nihil derogabitur , quin potius aberrationes , si quæ deprehendantur convenienti modo corrigi , transgressores delictorum pœnas luere , & parti læsæ damna resarciri debent .

XXXIX.

